

Voluntatem charitatem esse indifferens unum ad ^{deum} ~~deum~~ qj ad proximum

Stulticia

de confessione

O ho ho

Attende ueterem consuetudinem.

Cæsarius Arclaten.

Aut si habeat quis aliquid aduersus eum, unde reconciliari debeat: sicut dominus in Euangelio docet: Si ergo offers munus tuum ad altare &c. Et alibi ait: Sic & pater meus faciet uobis, si non remiseritis, & cætera. Et deo in oratiõe cottidie dicimus: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Et de aliis uitiis quantum ei deus dederit posse, deinceps se emēdaturum promiserit, tunc cū omni deuotione, ante absidem suscipi debet ad pœnitentiã. Atque tale quidem est Vuormaciense decretũ. Quod uero in capite quadragesimæ fieri confessio debeat, aliud decretum repperi, cuius synodi sit nescio, nã titulo carebat. Est cõp huiusmodi: Presbyteri admonere debent plebẽ sibi subiectam, ut omnis qui se sentit mortifero peccati uulnere sauciatum, feria quarta ante quadragesimam cum omni festinatione recurrat ad uiuificatricem matrem ecclesiam, ubi quod male commisit cum omni humilitate & contritione cordis simpliciter confessus, suscipiat remedia pœnitentiæ, secundum modũ canonicis autoritatibus præfixum. Non solum autem ille qui mortale aliquid commisit, sed etiam omnis homo quicumque se recognoscit immaculatam Christi tunicam, quam in baptismo accepit, peccati macula polluisse, ad propriũ sacerdotẽ festinet uenire, cum puritate mentis omnes transgressiones, omnia peccata, quibus dei offensam se incurrisse meminit, humiliter confiteat. Et quicquid à sacerdote fuerit iniunctũ, ac si ab ipso omnipotẽtis dei ore esset prolatũ, ita diligẽter attēdat, & cautissime obseruet.

Consentit cum hoc quod in Pœnitentiaro Romano legitur, in hunc modum: Hebdomada priori ante initium quadragesimæ, presbyteri plebium ad se conuocent populum, & discordantes canonica autoritate reconcilient, & omnia iurgia sedent. Et tunc primum confitentibus peccata, dent pœnitentiam, ita ut antequam caput ieiunij ueniat, omnes confessi pœnitentiam acceptam habeãt, ut liberius dicere possint: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. hucusq; ex Pœnitentiaro, Cæterum nõ solum apud Tertullianum, sed etiam apud eos, qui multis seculis post uixerunt, de publica tantum pœnitentia & confessione fit mentio. De qua complures elegantissimi sermones extant Cæsarij illius Arclatenensis, inter quos eminet ille, cuius initium, Quotienscunque. Quin ipse Iohannes Chrysostomus, quanquam pluribus locis suam de confessione & pœnitentia sententiam indicat, uix tamen alibi id uel magis ingenue, uel apertius testatur, quam in sermone, cui titulus est: πορι μετανοίας καὶ ὁμολογήσεως, quem ego nuper inter alia eius opera nondũ uersa repperi: ubi sic scribit de confessione: κωι δὲ οὔτε ἀνάγκη πόντων μαρτύρων ὁμολογήσασθαι. παρὰ τῆς λογισμοῖς γενέσθω τῆν πεπλημμελημένων ἢ ζήτησις ἀμάρτησιν ἔσω τὸ δικαστήριον. Ὁ θεὸς ὁράτω μόνον ὁμολογέμενον, καὶ τὰ λοιπά.

Et paulo